

Sed haec valent de ancillis seruisque volentibus se turpi
 dominorum dominarumue libidini dare. Quid vero si re-
 pugnarent? Nuni domini dominaeue eos easue ad impudi-
 cum facinus in inuitos inuitasque adeo perpetran-
 dum compellere ius erat? Id impune sub paganis princi-
 pibus factum contendit inter alios Vir diuini plane ingenii
 & summae eruditionis GROTIUS (q), negat autem, nec
 de remotissimis adeo temporibus concedit elegantissimus
ARNALDVS (r). Inter tantos viros litem dirimere, quan-
 quam non sit mearum partium, tamen si dicendum foret,
 cuinam me addixerim, subtimidus responderem, me neu-
 tri me iungere malle & medium intercedentem, modo
 sustinere possem, erciscundi, miscellionisque personam in-
 duere. Nimirum prisco aeuo, cum reliqua omnia im-
 pune in seruos committere dominis permitteretur, cum-
 que nullis fere legum vinculis impediti in mancipia sua
 faeuire possent, hanc quoque comprimendi ea & ad Vene-
 rem furtiuam vi adigendi licentiam, iisdem fuisse credi-
 derim. Sub **ANTONINO** demum Pio, cum iam variis
 legibus dominorum faeuitia coercita esset, videtur haec
 prauitas seruos ad obscenitatem detrahendi sublata esse.
 Cuius quidem rei testis grauissimus est **VLPIANVS** Lib.
VIII de offic. Procons. (s) aperte scribens: *Si dominus in seruos
 saeuierit, vel ad impudicitiam turpemque violationem compellat:
 quae sint partes praefidis ex rescripto DIVI PI ad AELIVM
 MARCIANVM proconsulem Baeticae manifestabitur.* In
 his verbis GROTIUS agnoscit emblema **TRIBONIANI**,
 quamuis hac medicina non opus videatur, si tempora
 distin-

(q) In *Florum Sparione ad L. s. dominus 2. D. de his qui sui vel al. iur.* cap. 10, annexa Eiusdem Coniecturis.

(r) In *Dissert. de iure seruorum, vel al. iur.* (s) In *L. 2. §. 1. D. de his qui sui*